

domini 1460, die proxima post festum sancti Andree apostoli. Itaque 12. annis ante Autoris mortem.

II. fol. 328. sequitur *Lectura in Epistolam ad Romanos* pariter vasta, et pariter praemissa longa et praeclara Introductione, cujus initium est: *Diuina fauente clementia mihi lecturo epistolam ad Romanos Egregij doctoris gentium in fide et veritate beati Pauli incumbit breuem collationem premittere. Sis salus mea usque ad extremum terre. Is. 49. &c. Extrema, ut dixi, male habita, et abrupta sunt.*

CCXVI.

U. 161

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 107. f. currente calamo scriptus continet: I. *Lecturam scholasticam in D. Pauli Epistolam ad Hebraeos* hujus exordii: *Lecturus epistolam b. pauli Apostoli ad hebreos morem in precedentibus epistolis per me lectis habitum seruando, primo premittam prologum huic epistole prepositum, circa quem quoddam dubium mouebo &c. Siftit haec Lectura in C. 5. Subjunguntur Quaesita in hanc Partem, quem morem in aliis Codicibus a Nicolao de Dünkelspühl et Petro de Pirchenwart observatum vidimus, et Quaesitum ultimum est: *An lex vetus conuenienter fuerit tempore Moysi data. Itaque et haec Librarius imperfecta destituit.**

II. fol. 96. ab alia manu sequitur Scriptum illud polemicum, quod incipit: *Iussit reuerendissima*

vestra paternitas ac metuendissima dominacio &c. contra Wiclefistas et Hussitas, quod Vol. I. P. 1. col. 968. et alias saepius etiam Vol. II. indicatum a Petro nostro de Pulka ad Card. Legatum Brandam Castillioneum directum fuit.

CCXVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 26 IX. Folior. nunc 112. f. caractere luculento eleganter perscriptus, olim, ut praenotatur, *Archivii Domus SS. Apostolorum Clericorum Reg. vulgo Theatinorum Neapoli ex dono Mich. Troyssii V. I. D. hunc praefert litera quadrata Titulum: Incipit Tractatus Hilarii In Septem Epistolas Canonicas. Cui Hilariorum hunc Tractatum tribuam, ignoro. Non certe Pithaviensi, aut Arelatensi, quorum illum Hieronymus adpellat latinae eloquentiae Rhodanum, et latini sermonis tubam, Virumque eloquentissimum; huic Honoratus Massil. flumen eloquentiae, sententiarum gemmas, argentum splendentis eloquii tribuit. Nihil horum sane reperias, si sumas in manus Nostrum. Vide, ut orditur: *Septem epistole. quas sancti patres iacobus. petrus. iohannes & iudas. ediderunt. tam mysticas quam succinctas. breues pariter et longe. Breues in uerbis. longas in sensibus. ut rarus sit qui in earum lectione non cecutiat. — Tres doctissime epistolis accidunt. increpatio. laudatio. uituperatio. Ob tres causas scriptae sunt epistole. ut uitia ressecarent. et uirtutes plantarent.**

Et hereticorum causas excluderent. — Fidochusa episcopus grecorum sacrum earum ordinem composuit. Hieronimus conuertit eas. &c. Haec e Prooemio. Initium Epistolae I. est: *Jacobus. Cur a nomine iacobi incipit epistola? per metonomiam dicitur, ostendens per inuentum inuentorem. Ut uina coronant, cum uasa uini fecerint.* Sufficiunt haec, ut *Hilaria*ster iste ad *Seculum* saltem VIII. amandetur, quo aeuo nullus mihi notus *Hilarius*. Ad I. *Job. V. 7. 8.* haec tantum notat: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant. id est incarnationis testimonium. Et tres unum sunt. id est unus homo corpore & anima & spiritu consistens.* Unde uides tractationem ejus brevibus glossis definiri, orthodoxis illis quidem, nusquam uero infelicioribus, quam ubi interpretationes hebraicas, uel graecas audet, v. g. *Epistola est eloquium, in latino tradita expositione. hieronimo dicente. epistolae hoc est. expono. In hebreo. Euphuma.*

II. fol. 49. p. 2. litera unciali *Incipiunt Expositiones Venerabilis Bedae Presbyteri In VII. Epistolas Canonicas. Incipit Prologus. Jacobus, Petrus, Iohannes, Judas septem epistolas ediderunt. quas ecclesiastica consuetudo catholicas, hoc est uniuersales cognominat.* Dabo totum istud Prooemium; uideo enim illud *Beda*e editoribus *T. V. Colon. 1688. p. 673. f.* defuisse. in quibus ideo prima epistola iacobi ponitur, quamuis in catalogo apostolorum priores soleant numerari *petrus & iohannes,*

quia ipse hierosolimorum regendam suscepit ecclesiam, unde fons et origo euangelicę predicationis incipiens per orbem diffusa est uniuersum, cuius cathedre dignitatem etiam paulus apostolus in eo nominando uenerans ait: iacobus cephas & iohannes, qui uidebantur columnas (sic) esse; uel certe quia ipse duodecim tribubus israel quę primę crediderunt. suam epistolam misit, merito hæc prima poni debuit, merito petri secundę, quia ipse electis aduenis, qui grece dicuntur proseliti, hoc est, eis scripsit, qui de gentilitate ad iudaismum, de iudaismo ad electionis euangelicę gratiam conuersi sunt. Merito iohannis epistolę tertio loco sunt positę, quia bis scripsit ipse, qui de gentibus crediderunt. cum nec natura nec professione iudei extitissent. Denique multi scriptorum ecclesiasticorum, in quibus est & sanctus athanasius alexandrinę presul ecclesię primam eius epistolam scriptam ad partos esse testantur. Merito iude ultima est posita, qui quamuis et ipse magnus, tribus tamen præcedentibus apostolis minor est. Uel quia iacobi prima est scripta epistola, deinde petri, post eas iohannis, ideo nunc usque ordinem, quo scriptę sunt, retinentur (sic). Constat enim, quia beatus iacobus tricesimo post passionem domini anno suum consumauit martyrium, petrus tricesimo octauo, hoc est ultimo anno neronis passus est, et ipse in secunda sua scripsit epistola: Certus sum quod uelox sit depositio tabernaculi mei, secundum quod & dominus noster ihesus christus significauit mihi per
reue-

reuelationem. Unde patet quia imminente passione hanc scripsit epistolam, cum multo ante iacobus migrauerit ad dominum. Neque uero epistolas eius conueniebat ab inuicem separari, quas hisdem scripsit ecclesiis. Porro iohannes multo post tempore suas epistolas simul et euangelium scripsit, quando post occisionem domiciani reuersus de exilio turbatam se absente per hereticos repperit ecclesiam, quos in suis epistolis percutiens sepe cognominat antichristos. **Explicit Prologus.** Ipsam porro etiam Expositionem e Codice perfici posse, vel **Versus I.** Jacobi argumento fit; ubi enim Edita habent: *ne infructuosi, sive etiam damnabiles ab iis, qui fidei sacramenta percepissent, reddantur*, multo rectius Noster: *ne infructuosum sibi, immo etiam damnabile, quod fidei sacramenta percepissent, (reddatur) reddantur.* Sermo nempe est de Christianis male viventibus. Et mox, ubi in Editis: *ultio coelestis — percellat*, Codex addit: *irruens.* Abrumpitur autem, quod dolendum, ad **I. Job. c. 2. v. 13.** in his verbis: *et etas senectutis uita immaculata.*

CCXVIII.

U. 162 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 164. f. per duas columnas nitide scriptus et rubricis distinctus exhibet: I. Expositionem ἀπερρυεαφον in D. *Johannis Apocalypsin*, cujus Prologus infit: *Legimus in ecclesiastica hystoria beatum Johannem &c.* Unde proditur Haymo Ep. Halberstad. Sec.

IX. Scriptor, cujus nomen etiam alia manus ad calcem signavit; ita enim finit: *et in gratia terminum poneret. Explicit Glosa Amen. Haymon super apocalypsim.* Saepius a me relatum, typisque excusum Opus.

II. fol. 124. absque inscriptione subit Institutio moralis de usu et administratione VII. Sacramentorum, sic quidem ordiens: *Intra Etatu de penitentia. que unum est sacramentum. de alijs tribus diximus sacramentis videlicet de baptismo ordine et eucharistia. Restant adhuc alia tria. videlicet matrimonium confirmatio extrema unctio &c.* Vide ὁ ἕγωγ πγοτεγωγ; fol. enim 129. pertractato *Matrimonio* primum sequitur: *Sunt autem VII. sacramenta in ecclesia dei Baptismus eucharistia &c.* Sed ne id quidem verum Libelli principium esse videtur. Transpositionis hujus causam juxta et autorem ignoro. Nam non est *Thomas Aquin.* Ad calcem legitur: *Anno domini millesimo CCCLXXXVI^o. in die sancti symonis et iude &c. gratias ago Domino Deo omnipotenti Amen.* Tum *Registrum*, quod partium μετὰ θεον exacte sequitur.

CCXIX.

R. 57 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 120. f. luculento caractere exaratus, rubricis distinctus, et, ut p. 1. notatur, olim *Monachorum Congregationis S. Justine de padua deputatus Monasterio S. Seuerini de Neapoli*, litera unciali inscribitur: *Incipit Expositi-*